Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ignem spirans animo in iudeos. et percipiens accelerare negocium, contigit illum impetu euntem de curru cadere et gravi corporis collisione membra vexare. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare super humanum modum superbia repletus et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam dei virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius et fetore exercitus gravaretur.

V. Qui paulo ante sydera celi contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fetoris portare. Hinc igitur cepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse iam fetorem suum ferre posset, ita ait. Iustum est subditum esse deo, et mortalem non paria deo sentire. Orabat autem hic scelestus dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

VI. Et civitatem ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere. et iudeos quos nec sepultura quidem dignos esse habiturum se, sed avibus ac feris diripiendas traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, equales nunc atheniensibus facturum pollicetur. templum etiam sanctum quod prius expoliaverat optimis donis ornaturum, et sancta vasa multiplicaturum, et pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis prestaturum, super hec et iudeum futurum, et omnem locum terre perambulaturum, et predicaturum dei potestatem.

VII. Non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum iustum dei iudicium) desperans scripsit ad iudeos in modum deprecationis epistolam hec continentem. Optimis civibus iudeis plurimam salutem et bene valere et esse felices, rex et princeps antiochus. Si bene valetis et filii vestri, et ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias.

VIII. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem benigne memor, reversus de persidis locis et infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi pro communi utilitate vestra curam habere, non desperans memetipsum, sed spem multam habeo fugiendi infirmitatem. respiciens autem quod et pater meus quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum, ut si quid contrarium accideret aut difficile nunciaretur, scientes hi qui in regionibus erant cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. ad hec considerans